

Krafft.
Gottes.
fürcht
d. 2
Wehrmutter



DE
PIETATE
OBSTETRICVM,

QUA
DEVS DOMOS DICITVR
ÆDIFICASSE ISRAELITIS,

oder:

Von der Gottesfurcht der Wehnmutter,

um welcher willen

Gott denen Israeliten Häuser gebauet.

EXOD. I, 20. 21.

DISSERIT,

ET

MEDICORVM PIETATEM
ÆGROTIS

SALVTAREM ESSE

DEMONSTRAT

M. IOANNES ANDREAS Krafft,

INSPECT.

ALTONÆ,
LITTERIS BVRMESTERIANIS.



Um 1078

DE
PIETATE
OBSTETRICVM

DEVS DOMOS DICITVR
ADHUC CASSE ISRAELITIS

Spod ob Obstetricum de Pietate

Gotthardus Christianus Schuler Scholae

EXPO. I. 20. 21
DISEPT.


ET
MEDICORVM PIETATEM

AGROTIS
SALVTAREM ESSE

DEMONSTRAT
M. IOHANNES ANDREAS SCHULER
INSPICIT.

ALTONA
LITTERIS BARNESBRIANIS






VIRO
PRÆCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMO
FRIDERICO GOTTLIEB
MÜLLERO

MEDICINÆ DOCTORI
FAVORI OPTIMO

S. P. D.

M. IOANNES ANDREAS Krafft.



VIRO

PRÆCÉLLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

DOCTISSIMO



Nondum erat auditum TE feliciter ac summis in arte TVA honoribus ornatum domum rediisse, cum solenne, quod mittebas, testimonium me hujus rei faceret certiolem. Quanta animi voluptate & lætitia hunc venæ sectionis tractatum acceperim, ex quo NOVUM TIBI titulum certissime augurabantur omnes rerum Academicarum gnari, vix TE cogitare poss~~um~~ persuasum habeo, nisi & istam, quæ TIBI mecum intercessit amicitiam, & mortalium naturam accurate tecum expendas, quæ ea esse solet, ut remotissimam quamque & vel e longinquo gloriolam capiendi occasionem avide arripiant, dum illud quod prope & quasi ante oculos positum pudorem incutere poterat, omni studio averfantur. Nimirum quod fabris accidit, qui exiguam ad extruendum palatium laboris & industriæ particulam conferunt, ut

ut quandam ex amplissimo ædificio gloriæ partem
ad se iure quodam pertinere existiment; idem &
mihi usu evenit, ut cum TE & artium liberalium
laude florentem & prima Medicorum dignitate co-
honestatum recordor, non minus jucundum, quam
honorificum mihi esse putem, quantulacunque ex
parte felicissimum ingenium TVVM nostra olim
promovisse industria. Quin istum igitur animi
affectum TIBI publice significarem, temperare mihi
non potui. Sed cum hoc tempore aliquid ad TE
scribere statuissem, ab eo orationis argumentum
ducere volui maxime, quod & dignitati TVÆ esset
aptissimum, & provinciæ. Sustines enim non par-
vam expectationem imitandæ ut doctrinæ patriæ,
ita pietatis. A tenera ætate nobilissimam hanc vir-
tutum omnium edoctus es disciplina, hortatione &
quod maximum est, quia rarissimum, ipso paren-
tum exemplo. Fortunam, sapientiam, honores
& si qua præter ista pietatis præmia esse Deus vo-
luit, ita nactus es, ut multos superes, paucis cedas.
Pietatem itaque Medicorum descripsi ægrotis salu-
tarem, non ut doctum erudirem & TE nostra insti-
tutione fungendo muneri aptum efficerem magis
atque idoneum, sed ut cum præstantissimæ rei,
quam didicisti, usum, quo nunc frui possis, TIBI
in animum revocarem, tum virtutem peculiari &

Medicinam colentibus accommodato sifterem habitu. De obstetricum Ægyptiarum pietate Hebræis salutari quædam præmissi, quæ ut argumentum illustrent, ita his, qui a Medicorum studiis alieni nostra legere cupiunt, lectionem jucundam magis reddant atque utilem. Si utrumque pingui fatis Minerva factum, & scriptionis genus leve, in cultum neque æquabile omnino deprehenderis, alium diem, alios mores, quin alia studia postulare velim cogites, qui hæc mihi scribenti non habitare in Latio sed peregrinari tantum ipse videor. Nunc accedo ad id, cujus causa hæc omnia scripta sunt. Ut hunc, ad quem ascendisti honorum, gradum TIBI felici atque perpetuo rerum TVARVM incremento: parentibus optimis digno tantis curis præmio: Familiæ autem tot atque tantis nominibus ornatae novæ amplitudini esse Deus benigne jubeat vehementer opto, imprimis velit divinum præpotensque, quod veneror, Numen PARENTVM TVORVM, qui jam ad summam pervenerunt senectutem, vires debilitatas in dies magis magisque corroborare, Eosque Tecum in perpetuum salvos ac incolumes conservare. Vale, me measque res habeas commendatas, quam commendatissimas. Scrib. Cal. Septemb. MDCCLXV.

SECTION



...Hanc tot benedictis reddidit...
...colonus exaratus...
...voluntate con...

SECTIO PRIOR

DE

OBSTETRICVM ÆGYPTIARVM PIETATE HEBRÆIS SALVTARI.

...non cogit...
...quod per...
...quod per...

§. I.



Vt virtus sibi ipsa maximum esse solet præmium: ita pietas, quam merito omnium virtutum fontem dicimus atque originem, ea quæ cum singulis virtutibus conjuncta sunt bona, sibi omnia videtur jure suo quodammodo vindicare. Ea autem præterea pietatis est natura, ut cum reliquarum virtutum alia illum, qui habet, solum ac imprimis beatum reddant, hæc non sibi tantum, sed et aliis constanter profit. Cujus rei exempla et quotidiana experientia profert, et sacer codex studiose exhibet augustissimum illud pietatis et virtutum speculum. Instar omnium illud esto quod Moses vir divinus et quo et nominis fama et rerum gestarum magnitudine clariorem nulla gens habuit, summus Israelitarum imperator de obstetricibus in Ægypto memoriæ prodidit, et Latinus interpretes ita recenset: Exod. I, 20. 21. *Bene ergo fecit Deus obstetricibus, et crevit populus consortatusque est nimis. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.*

§. II. De feminis sermo est, quæ parturientibus opem ferre solebant et pio consilio Hebræorum pueros certo subducebant fato. Atque quod ad prius hujus orationis comma attinet, in eo consentiunt omnes, et ad obstetrices, et ad gentem Hebræam benevolentia divina quoddam docu-

Comma
prius exponitur.

men-



mentum esse referendum. Illis beneficia exhibuit Deus, quæ indicantur, non enumerantur: *Bene ergo Deus fecit obstetricibus.* Hanc tot benefactis reddidit illustrem, ut qui in per inuisos regni colonos extinguendos conferebant, quicquid artis, consilii et virium poterant, divinam voluntatem conatibus humanis longe superiorem esse tandem intelligerent omnes. Efficiebat enim, ut quam minuendam esse statuerant, Hebræorum res amplificaretur in dies magis et immensa caperet incrementa: et *crevit populus confortatusque est nimis.* Quæ cum ita sint in promptu, ut res disputatione non egeat, prætereundam hanc dicti divini partem eo libentius existimamus, quo minus argumentum, quod persequendum videtur, minutis interrogatiunculis de familia, religione¹, mendacio², et si qua sunt huius generis alia, feminarum dilatate animus est.

¹ Familia et religione num. Hebrææ fuerint, an Ægyptiæ? in utramque partem disputant. Nobis brevitas studiosi B. VVDDEI verba retulisse sufficiat in Histor. Eccles. V. T. P. I. Per. II. S. I. §. 12. scribentis: Fl. Josephus Pharaonem iussisse ait, *εθγαλιαν γυναικων τοκετες παρατηρειν τας Αγυπτιαν μαιας*, Hebræorum mulierum partus observare Ægyptiorum obstetrices, Antiqu. Jud. L. II. c. V. Obstetrices itaque Ægyptias, non Hebræas fuisse censuit. Sed verba Mosis מילדות העבריות Hebræas fuisse suadent. Nec de Ægyptiis dici potest, eas timuisse Deum. Vtriusque etiam gentis Hebrææ atque Ægyptiæ nequam tanta fuit familiaritas, ut mulieres Hebræas Ægyptias admisisse obstetrices, credibile sit. *Qui plura cupiunt ipsum BVVDEVM addeant.*

² Mira leget et commenta et deliramenta, qui scholasticorum et pontificiorum doctorum, imo patrum quorundam disputationes de muliebri mendacio ea, qua legentibus opus est, patientia perlustrabit, quarum farraginem exhibet Dorschæus in Syllog. Vindictarum et Animadvers. ad Bellarmini allegationes ex Exod. I. II. III. IV. factas P. I. p. 22 seqq. Qui mendacii naturam non veritatis sed amoris fraterni, quæ summa ex Christi præscripto lex est, regula metiuntur, nulla non vacabunt disputatione.

Comma
posterius.

§. III. Alterum potius est comma, de quo varia institui solet quæstio: quæ cum a nemine nisi Hebræorum sermonis non experte dijudicari queat, ut sacrum oraculum ipsis divini scriptoris verbis proferamus, necesse est; v. 21.

וְיָרָא אֶת-דְּמֵי הַיָּלֶדֶת אֶת-דְּמֵי הַיָּלֶדֶת
וְעָשָׂה לָהֶם בְּתוֹם

Ad literam latine reddi possunt: *Et quia timebant obstetrices Deum, factum est, ut faceret illis (mascul. gen.) domos.* Hujus tantum sententiæ alteram partem tribus saltem verbis constantem in disceptationem venisse novimus. Ac principio dici non potest, quanta et *de eo, qui domos ædificasse dicatur?* et *de hoc, cui ædificatæ sint;* et *de ipsa ratione, quomodo factæ perhibeantur?* sententiarum diverfitas orta sit.

§. IV. Neque id mihi agendum esse puto, ut omnes omnium hominum opiniones, quod fieri plane non potest, aut tantum istarum rerum quantum perdicendorum, quæ ad manus sunt, copiam quidem posset, expromam, sed id mihi negotii datum esse credam, ut primo memorabiles quorundam explicationes enumerem, ne quid temere dixisse videar, deinde vero omnem rem, quæ in quæstione versatur, in duo disputationum genera distinguam et ita excutiam, quo utraque parte stet veritas, evidenter appareat. Primum meo nomine faciat vir in isto studiorum genere versatissimus P. FAGIUS¹, qui Mosis effatum hac adornavit observatione: *Multiplex, inquit, sensus est horum verborum.* Quidam referunt ad populum Israeliticum, hoc sensu, quasi ipsi scilicet filii Israel suis obstetricibus domus munitas exstruxerint, in quibus, quod non exsequerentur mandatum Regis de interficiendis infantibus, ab incurso Aegyptiorum tutæ esse possint². Alii ad Pharaonem referunt, quod is videlicet proprias et peculiare domos illis exstruxerit, unde exire illis non licebat, sed expectare ibi cogebantur mulieres Hebraeas parturientes, quæ ad ipsas adducebantur, ex præcepto Regis, ut ista ratione Aegyptii una cum illis cognoscerent, num filius aut filia nasceretur? Alii ad Deum referunt, quod fecerit eis domos et hoc etiam varie exponunt: Vel, quod obstetricibus domos fecerit, i. e. protexerit et defenderit eas; quæ sententia non improbat R. D. Kimchi: Vel quod Deus propter beneficium, quod contulerunt in Hebræos non occidendo illorum infantes, eas

Varia interpretum sententia.

remuneraverit bonorum videlicet ubertate, quæ per domos intelligatur, concessa: et ita domos illis exstruxerit, h. e. rem familiarem earum adauxerit, ita omnium rerum quæ ad augendam alendamque familiam requirebantur, copiam haberent. Nam domum facere, Hebræis etiam rem domesticam curare, et rei augendæ operam dare significat. Hinc Jacob dicebat ad Laban Genes. XXX, 30.³ Quando faciam etiam ego domum meam? Vel, quod fecerit eis domos, sacerdotii scilicet et regni. Dicunt enim Hebræi, duas illas obstetrices fuisse Mirjam et Jochabed matrem eius, filiam Levi, ex qua nati sunt Moses et Aaron, penes quos sacerdotium et regnum fuit. Et qui hunc sensum sequuntur, hos movit, quod inscripturis aliquando appellatione domus regnum et sacerdotium veniunt. Sed subtiliter hæc excogitata magis quam vere dicta esse, quis est, qui non intelligat?

¹ In Annotat. ad Paraph. Chald. Pentateuchi ad h. l.

² Vt Munsterus hæc ex Abraham Sepharad. affert in Annotat. in V. T. ad h. l.

³ Et bonus Homerus hic dormitat. Ita quidem LXX habent. Sed Hebræi legunt: quid faciam domum meam? לברי?

Tantæ
diversita-
tis causæ.
Prima.

§. V. Si tam variæ ac lubricæ interpretationis fontem spectare velis atque originem, tria potissimum sunt, quæ errorem et gignere et editum nutrire satis profecto potuerunt. Atque primo loco hic habenda omnino est communis hominum curiositas, quæ ut ante oculos pedesque posita negligamus, ignota et multo studio petita anxie quæramus ac miremur sæpissime efficit. Illa enim factum est, isto ut indicio beneficiorum, quæ in obstetrices divinitus collata Moses summatim at nervose v. 21. dixerat, parum contenti, et suum esse rati in ipsam benefactorum rationem diligentius inquirere, tandem hic se aliquid invenisse putarent, quod et humano ingenio et digno operi pretio mirum in modum conveniret. Respondit ex illorum opinione remunerationis divinæ genus expresse laudabili muliercularum factio¹: cetera à Mose dicta, quæ sibi ista ratione respondere minime videbantur, ut sibi consentanea sint facile se effecturos credebant.

debant. At ut una Scripturæ sacræ veritas raro corrui-
 quin plures concidant cum illa colligatæ; ita proclivi ad
 errores via, qui ingenio indulgebant, ad figmenta et fabu-
 las, quibus delectarentur, delapsi sunt. Neque à veritate
 me longe aberrare censeo, si ex tribus, quæ supra indicavi,
 alterum quoque, quod dicendum erat, ex isto fonte deri-
 vandum statuo. Nimirum et Chaldaicarum et Græcarum
 aliarumque vetustiorum versionum et interpretationum con-
 ditores iisdem fortasse ingenii deliciis adducti et Hebræo-
 rum וְהָיָה in locum vocis וְהָיָה substituendum esse rati tanto
 certio-rem opinionioni suæ conciliare potuerunt applausum;
 quanto maior ipsis nullo non tempore fuit auctoritas. Huic
Hebrææ gentis doctorum, quos Rabbinos vocant, accedit
suffragium, quod primo loco apud eos ponendum quidem
 esse videbitur, qui eorundem scriptis plus iusto sapientiæ
 tribuunt. Hi enim fere omnes, quo haberent, quod fin-
 gerent à sincera verbi וְהָיָה significatione studiose recesserunt.
 Propterea nemini mirum videri debet, si nodum in scirpo
 quari sentiat, et in re, quæ aperte, plane, rotunde dicta
 non immerito censetur, tantam sententiarum² animadvertat
 diversitatem.

Altera.

Tertia.

¹ Ita enim GROTIUS in Annotat. in V. T. ad h. l. Sobolem obstetri-
 cum auxit Deus, quia Hebrææ soboli pepercerunt.

² Et Scriptores memoratos et plures legat, qui cupit in Bibl. crit. Angl.
 T. I. ad Exod. I.

§. VI. Sed qui hodie neque fabulis delectantur, ne-
 que cum nugis rem habent, in duas potissimum abeunt par-
 tes. Unum genus interpretum est, qui veterum auctorida-
 tem secuti וְהָיָה ad mulieris accommodare plane non dubi-
 tant, et *domos obstetricibus à Deo ita ædificatas esse conten-*
dunt, ut benevolentia divina in augendis alendisque illarum
 familiis singulari ratione sit manifestata. Et si veritas ex vo-
 tis maioribus æstimanda veniret, hæc opinio sine omni di-
 sputatione haberetur omnium verissima. Plurimos enim
 Theologorum et auctoritate et scientiæ laude conspicuos ita
 rem

Sententia
commu-
nis.

rem omnem explicare profecto non ignoramus. Atque horum expositionem non in omnibus quidem sibi consentaneam at pleniorē B. GLASSII¹ verbis eo lubentius narrabimus, quo brevior ille in eadem recitanda esse voluit. *Fecit eis, inquit, domos, h. e. familias earum auxit, prolem et progeniem numerosam vel honoratam dedit* (ut *לרם*, illis, masculinum vel ad maritos obstetricum earum respiciat, uti Drusius putat: vel sit pro foeminino *לרר* per Enallagen, qua ratione Chaldaeorum in foeminino legere Schindlerus notat.) *Compensatio et merces sane congrua, ut quæ prolem Ebræorum servaverant, prole bearentur.* Verum enim vero, qui ad alterum genus interpretum pertinent neque adeo pauci neque sacrum literarum indocti sunt; Et hi cum sine praesentissima necessitate ne transversum unguem quidem ab ipsa scriptoris sacri litera discedere fas esse putant, *divinum beneficium ad ipsam Dei gentem*, Israelitas videlicet per *לרם* satis aperte indicatos spectare, egregiis rationibus evincunt. Fagius supra laudatus istam tuetur sententiam² *Pronomen relativum, scribens, לרם eis, masculinum est, unde commode ad universum populum referri potest. Et domum pro familia accipi frequentissimum est in sacris literis. Atque hæc postrema lectio omnium simplicissima esse videtur. Est ergo sensus: timore obstetricum, quo Deum timuerunt, et non interfecerunt pueros Hebræorum, ut Rex Pharaeo praeceperat, factum est ut familiae Hebræorum in immensum creverint auctæ et multiplicatae fuerint.* Quæ cum tam simplex, tam solida atque accurata nobis quidem videtur explicatio, ut alia plane nulla, superiorem Glasii verbis expressam³ *communem appellare, hanc Fagii nostram* facere non dubitamus.

¹ In Philol. S. L. V. Tr. I. c. 3.

² In Annot. ad Paraphr. Chald. ad h. l. Iisdem verbis eadem leguntur in Vatabli Annot. ad LL. Canonicos V. T. ut quidem sunt in Bibl. crit. Anglic. ad h. l.

³ vid. STARCK. Synopf. Bibl. V. T. ad h. l.

Probationem
sententia

§. VII. Ego vero quanquam præter FAGIVM¹ ROBERTIVM etiam STEPHANVM², BRENTIVM, JUNIVM et TREMELIVM

LIVM³, SEB. CASTALIONEM⁴ et ex recentioribus⁵. ZELTNE-
 RVM, viros in hoc studiorum genere versatissimos, aliosque plu-
 reshuc sententiæ patronos esse scio; id tamen, quod meum
 feci, probare malo, quam in recensendis aliorum cogitationi-
 bus multum operæ et temporis ponere; præsertim cum ea
 dictorum â celeberrimis viris quorundam sit ratio, ut alius
 alium adlitteram exscripsisse interdum videatur. Duo autem
 sunt imprimis, quæ ad intelligenda solide scripta cum hu-
 mana tum divina vehementer faciunt. *Primo* ut quis ver-
 borum omnium vim, et quid vox unaquæque et in omni
 sermonis ordine et in hoc significare possit ac velit, in prom-
 tu habeat: *Deinde* ut earum rerum et quæ antecedunt et
 quæ sequuntur sententiam, rationem habeat tanto diligentius,
 quanto magis ex istis sibi verba lucis afferri nonnunquam de-
 siderant. Quodsi igitur ad utrumque studium nostrum ita
 conferemus, ut hinc et inde sponte fluat nostra opinio, rem
 omnem confectam esse putabimus.

¹ In notis Bibl. ad h. l.

² Huius Commentarium adducit DORSCHAEVS in Vindiciis et A-
 nimadversionibus ad Bellarmini controversias p. 37. Qui nec ipse pro-
 cul â nostra explicatione videtur abesse, cum p. 36 scribit: Quanquam
 etiam arbitremur, illud *ædificavit eis domos*, referri posse et ad obstre-
 trices et ad Israelitas coniunctim, tanquam bonum universitatis & ec-
 clesiæ, ad quam obstetrices (Hebrææ videlicet) pertinuerunt.

³ Vertunt quidem: *Deinde factum est, quia timebant illæ obstetrices De-
 um et domos natis illis statuebat Deus.* Sed in notis ad vocem illis ad-
 dunt; nimirum Israelitis, i. e. illis aderat ita, ut ad iustam ætatem per-
 venirent, et familias ex se procrearent.

⁴ Ita hic latine reddit: atque ita fiebat, ut Deus per illam obstetricum
 pietatem, familias (progeniem) pararet.

⁵ In bibliis â se adornatis ille dictum Mosis sic explicat: *Also geschah es,
 daß weil die Wehmütter Gott fürchteten, (und die Soehnelein bey Leben
 erhielten) er (Gott) ihnen (den Israeliten, nicht den Wehmüttern: im He-
 bræischen steht nichts von Weibern) Häuser (Familien, siehe oben v. 1.)
 bauete (d. i. sich die Israeliten immerzu in mehrere Familien und Ge-
 schlechte ausbreiteten.*

§. VIII. Itaque effatum Mosis ad litteram est: et *fecit* Ex sensu
illis domos. At nunc de quo et cui et quomodo hæc dicta *littera.*

sint? dispiciendum, et Grammaticorum vocabulis utamur
 necesse est. Ad nomen, quod orationem proxime antecede-
 dat eiusdem generis et numeri Pronomen masculinum לָהֶם
 referendum esse, quis est tam ignarus rerum omnium, qui
 ignoret? Cum autem nihil ejusmodi sit, cuius mentionem
 faciat Moses, si à voce הָעַם superioris commatis discedas,
 quid impedit quæso, quo minus referatur ad gentem He-
 bræam? Populienim Nomen, quod plures complectitur,
 per omnium certe linguarum usum populorumque dicendi
 consuetudinem, plurale habetur et à sacro scriptore hic lo-
 ci idem habitum esse ex Verbo statim opposito וַיַּעֲצֹמוּ eviden-
 ter patet. Neque igitur per לָהֶם obstetrices intelligi, neque
 mariti illarum animo cogitari possunt, qui an fuerint illo tem-
 pore? iure dubitatur. Sed generis, ajunt, permutationem
 in grammaticorum scholis Enallagen nuncupatam, iam de-
 prehendi: cuius usum habeant ex tot codicis sacri sententiis!
 Verum enim vero neque sæpe neque temere, sed dum de-
 mum auxilia ab Enallage accersenda esse statuunt, cum aut
 manifesta illius per orationis sensum appareat ratio, aut nihil
 consilii sit reliquum præter illam. Ego autem facile spero,
 fore, ut si quando Grammatici philosophaturi sint accuratius,
 Enallagen, quæ adulterandis et divinis scriptis et humanis
 tam apta est tamque opportuna, plane de numero Figurarum
 exterminandam esse censeant.

§. IX. Animum potius ad architectum advertamus,
 et inquiramus, quis fecerit domos Hebræis? Neque de Pha-
 raone mentionem hic factam ullam cernimus, neque de He-
 bræis, quod in tanta rerum calamitate constituti de exædifi-
 candis muniendisque in obstetricum suarum securitatem ædi-
 bus cogitaverint credibile est. Fabulis hunc delectari oportet,
 quem delectant talia. Qui ad vocem præeuntem אֱלֹהִים ani-
 mum attendit et Deum et obstetricibus et Israelitarum genti
 benefecisse recordatur, omnis profecto dubii expers mecum
 sentiet, Hebræis domos extruxisse Deum.

§. X. Optime autem quænam fuerint illæ domus?
 expli-

Vocis
 לָהֶם

בָּתִּים

explicabitur, si domus vocabulum ad sacri codicis usum et hujus sententiæ scopum recte perpenderit. Domum¹, ut in plurimis aliarum gentium linguis sic Hebræis imprimis aut rem familiarem aut ipsam familiam saepe significare omnes norunt, qui sacris literis et humanis scriptis mediocrem impendunt operam. Ne autem de re communissima copiose nimis videamur disputare, ex ipso huius divini libri principio illam sacræ scripturæ loquendi consuetudinem discant, qui volunt Exod. I, 1. ubi quilibet filiorum Israel cum *domo sua* migrasse dicitur in Ægyptum. Eandem igitur et domorum, quas Deus fecisse perhibetur, rationem esse, facile largietur, qui præter ea, quæ deinceps docebimus, consideraverit, quas habitarent domos, procul dubio Hebræos jam habuisse, qui usque ad Pharaonis tyranni tempora tanta rerum omnium abundabant copia, ut in invidiam inciderent et Regis et indigenarum. Neque rei ita expediendæ verbum *בית* repugnat, *בית* cuius tam late patet significatio, ut, modo: *aliquid effectum dare*, modo: *providere, producere* atque *curare* significet. Huius rei exemplum, ut quæ Gen. XXX, 30. I Reg. I, 5. Gen. I. II. observantur, silentio prætereamus, insigne illud, et mihi quidem nostro mirum in modum conveniens esse videtur, beneficium Regi David promissum 2 Sam. VII, 11. *Domum tibi faciet Iehovah*. Quid enim hoc aliud est, quam: Deus Tibi familiam excitabit ingentem, fortunatam ac stabilem, cui, ut reliqua promissionis divinæ omnino prædicunt, Messias inde oriundus prærogativam conciliabit insignem, 1 Chron. XVII, 10. Quo circa qui per domos à Deo exstructas rem Hebræorum familiarem amplificatam, eorumque prolem vehementer auctam intelligunt, recte mihi quidem videntur sentire.

¹ vid. Scheræi Itinerarium in Psalter. David. ad vocem בית.

§. XI. Enim vero magnum rationibus istis accedit ro-
bur, si ex illis quæ et præcedunt et sequuntur Mosis dictum, probatur
ponderatur sententia nostra. Moses totus in eo est, ut et quæ ex Ante-
res Judæorum in dies capiebat incrementa, et quo pacto facta
sint ista, describat. Institutum prius aperte eloquitur v. 6. 7.¹
Sententia
probatur
ex Ante-
cedenti-
bus.

Quo

Quo (Iosepho) mortuo et universis fratribus ejus, omnique cognatione sua; filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis impleverunt terram. Neque humanis opibus aut consiliis sed summi Numinis voluntate atque nutu hæc accidisse ut lectori persuadeat, crudelissimi Regis de opprimendis Hebræis consilia v. 8. cœpit enarrare. Quanto certiozem enim Tyrannus tam illustri post id temporis populo parabat interitum, tanto magis memorabilem gentis perdilectæ curam agebat Deus, atque ut infensi populo animi conatus omnes vani essent ac irriti multis modis efficiebat. v. 12. *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant.* Neque durissimus labor corporibus misere defatigatis robur; neque immanis imperii metus conjugum amplexus et sæcundam consuetudinem; neque horrendum de occidendis filiis omnibus consilium insignem et invisam adeo familiarum amplitudinem ac numerum impedire vel minuere saltem poterant: augebant potius ad stuporem omnium. Moses et modum et rationes edoctrus, quibus factum sit, ut contra imperium sarta tecta que fuerit Hebræorum res, ea ipsa v. 20. 21. narrat, quæ à nobis explicata sunt. Non imperio scilicet sed nutu: non illustri ac singulari divinæ potentiæ factò, sed tacito atque lento gratiæ impulsu Deum effecisse docet, quæ hominum potentissimi neque consilio, neque imperio neque vi ulla effectui dare valuissent. Timor Dei agebat muliercularum aliquot animos: Spes rerum suarum in Domino collocata augebat imbellium spiritus: non exequabantur crudeliter imperata, nec metuebant tyrannum. Vivere sinebant Hebræorum pueros v. 17. Salvam atque servatam volebant, cui mors cum ipsa vita indicta erat, progeniem: sermone aut vero aut ficto eludebant comminationes Regis. Præmiis itaque suis non vacabat tanta in Deum et patriam gentem pietas. Benigne mulieribus à Deo esse factum memorat Moses, at benefactorum rationem ipsam non describendam statuit, quam nisi exquirere studuissent nimis curiosi, omnis fortasse profligata esset inter interpretes disputatio. Bene-

Beneficia hoc modo non male locata diligentius et animadver-
tenda, et tanquam *nova subsidia* consideranda sunt, quæ divina
benignitas conservando populo esse cupiebat. Videbant se
in portu navigare fortunatæ mulieres, quas præstabat et peri-
culo et metu immunes Deus. Beneficiis, quæ non occulte fie-
bant, et ornabantur et gaudebant. Animus divino fretus au-
xilio non curabat mandatum regis nova ac severa perconta-
tione confirmatum v. 18. 19. Sic omnis res isto ordine gere-
batur, qui v. 20. 21. describitur. *Deus beneficiis cumularit mu-
lieres: ita crevit et auctus est vehementer populus, 21. Nam
quia Deum timebant feminae; hoc pacto factum est, ut Deus
populo domos edificaret sive augetet familias.* Jam ante Dei
timentes fuisse dicuntur feminae v. 17. at ne nova Regis inve-
stigatione fortasse territas ac eo ipso Hebræorum salutem aliquid
detractum fuisse putes, fides illarum beneficiis Dei confirmata
denuo prædicatur firma atque intemerata, quo appareat evi-
dentiùs, qua ratione Deus Israelitarum rebus prospexerit. Hic
enim cum fidem mulierum firmam redderet, ad conservandas
augendasque populi familias v. 21. eadem usus est.

¹ Lectores hic monendos esse duximus, nos versione Vulgati Interpretis
in hoc negotio usos esse.

§. XII. Nec ea, quæ narrationem istam sequuntur, Ex fe-
quenti-
bus. plane omittenda esse censeo: quippe quæ ita sunt comparata,
ut cum his ita expositis mire conveniant. v. 22. *Præcepit ergo
Pharao omni populo suo, dicens: quicquid masculini sexus na-
tum fuerit, in flumen projicite: quicquid feminini, reservate.*
Tyrannus enim cum regia mandata susque deque haberi ac
sibi ab obstetricibus, verba dari tandem intelligeret, neque
Hebræorum rem minutam, sed auctam potius sive *domos illis
factas* cerneret, ad crudeliora consilia conversus, in flumen
projiendos pueros omni demandat populo.

§. XIII. Ergo qui rem considerate examinant, utrius-
que commatis (20 et 21.) judicabunt parem rationem esse.
Utrumque duabus constat propositionibus, quarum prior po-
sterioris rationem continet eodem modo per signa Hebræo-
rum

rum distincta: una ad obstetrices, altera ad Israelitarum spectat populum: quod ut luculentiore oratione pateat, integram Moſis ſententiã verbis quidem explicationi noſtræ accommodatis placet eloqui: *Propterea beneficiis ſummis afficiebat obstetrices Deus, (quibus in fide ſervaret mulieres): populus autem (ita) creſcebat et mirum in modum augebatur.* Si quæras, quo pacto id per tyranni conſilia factum ſit, accipe: *Nam cum timerent obstetrices Deum: (et divina benevolentia, cujus quotidie nova in ſe collata videbant exempla confidentes pueris parcerent), factum eſt, ut (ſingulari iſta providentia) Deus populi familias vehementer augetet.*

SECTIO POSTERIOR.

DE

PIETATE MEDICORVM ÆGROTIS SALVTARI.

§. XIV.

Sed quorſum hæc diſputata à nobis ſunt? Nullam aliam certe ob cauſam, quam ut quæ de obſetricum pietate ſcriptura ſacra duce dicta ſunt, ad Medicos referamus, atque dum ad alterum, de quo diſputandum eſt progredimur, Medicorum pietatem eam potiffimum ob rem prædicandam eſſe ducamus, quia noſtris hominibus eadem ratione domos aedificare videtur. Neque me talia ſentire, quæ non probentur in vulgus, putabo, ſi ſummum Numen ſtatuerò ad hominum familias ſervandas atque amplificandas uti pietate Medicorum.

Pietas
Medicorum
ſalutaris.

Definitio
pietatis.

§. XV. Vt autem à definitione proficiſcatur hæc noſtra diſputatio, quid per pietatem intelligamus, prius exponendum eſt. *Aſſiduum hominis ſtadium officia, quæ per naturam innotescunt, conſerendi in omnes, philoſophis dicitur in genere pietas.* Quo excellentior itaque omnibus ſapientum præceptis, ſervatoris Jeſu Chriſti doctrina jure habetur, tanto

lucu-

luculentiorē, quae hujus seruum decet pietas, formam induit. Est enim haec, ut in Theologorum scholis audit, *mentis diuinitus agitata habitus virtutem ex lege Christi praescriptam colendi omnem*. Duplici quidem caritatis genere omnium diuinarum humanarumque legum summam absolvi docet Seruator¹: at omnes omnium caritates quondam pietas una complexa est²; quam Abrahamo tantopere commendabat Deus: *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus*. Quotusquisque igitur est, qui pietatem nominet neque eam tam late patere sentiat, ut quemadmodum CICERO de officiis in genere tradit³, nulla vitae pars neque publicis, neque privatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare pietate possit; in eaque colenda sita sit *vita beate, pure ac sapienter agenda ratio* omnis, et in negligenda *summa hominis Christiani* turpitude?

¹ Matth. XXII, 36-40.

² Cen. XVII, 1. Ap̄te LV THERVS reddit: Wandele für mir und sey fromm.

³ de offic. L. I. c. 2.

§. XVI. Atque cum à pietate virtutes omnes proficisci cernimus, quanti reipublicae intersit, homines in omni vitae genere pietate florentes habere, facili negotio demonstrari potest. Neque tamen cum aliis rationem nunc habeamus, quam cum iis, qui curandis corporum morbis dant operam; neque horum in numero habendos esse puto, qui temere et sine arte aegrotos accedunt: Sed in illos cogitationem nostram conferamus, qui valetudinis curationem docte et sapienter instituire didicerunt. His eo magis ad aegrotorum salutem pietate opus esse, quo majus, quod ipsorum curae traditur, est hominis bonum, (et post animum quidem maximum) rebus necessariis evincam. Quod si comprobatum me dedisse sciam, quantis et quam necessariis ad curationem instituendam pietas virtutibus et *medicum*, et *medicinam* et ipsum *aegrotum* ornet, omne negotium confectum, et hoc quoque probatum satis esse putabo: ipsam rempublicam aegrotare, nisi aegrotantibus pii praesse possint Medici.

Pietas
Medico
necessaria.

Virtutes
Medici.

§. XVII. Tria sunt, quae perfectum Medicum pleneque sapientem perficiunt: *doctrina*, ut quae sit hominum morborumque natura et medicamentorum vis intelligat accurate; *consilium*, ut arte sciat uti prudenter; *industria*, ne quid occasionis naturae subveniendae praetermittat et oscitanter agat. Quo circa, cum illa ipsa pietas virtutes omnes et gignit et continet, quomodo haec tria ex uno illo fonte manare possint, videndum erit.

§. XVIII. Ea autem pars, quae prima describenda est, tam propria esse videtur Medico, ut medentem sine arte non Medicum sed incredibilis audaciae et temeritatis summam hominem merito appellemus. Equidem scio, plurimos esse, qui ne mediocri quidem et proletaria herbarum notitia ita confidunt, ut gravissimos quosque morbos iactitent non infeliciter à se propulsatos¹:

*Ajunt se obligasse crus fractum Aesculapio
Apollini autem brachium -- -- --*

Sed quomodo quaeso in valetudinem is profligare potest, qui ex quo quidque gignatur, quae cujusque rei causa sit atque vis, perspectum plane non habet? Num corporis partes vigori suo restituere, qui quomodo à natura constitutae sint prorsus ignorat? Neque hunc certe herbae ullius aut terrae aut metalli virtutes exploratas habere posse credo, qui neque legendis de remediorum natura doctissimorum hominum observationibus aptus est, neque experientiae sapienter utendae. Nihil hic potest esse certi; nihil, quod exploratum habeat. Spes omnis et ratio et cogitatio pendeat ex fortuna. Verum ad exitus interdum ita pervehimur optatos? Profecto aut nihil in tali casu egit Medicus, aut male faciendo rem bene gessisse necesse est. Neque imperatori triumphum deferunt de victoria, quam neque fortitudine; neque consilio neque armis sed sola hostium fuga minusque expectata partam esse sciunt: Qui artem colit; qui et rationes morbi et statum animo tenet; qui hominis ingenium et conditionem corporis curandi cogitatione consequi potest; qui medicaminis virtutem cum his
singu-

singulis comparat; solus est qui hanc, quam expectationem sui concitavit et sustinere et tueri potest, et totus aptus ex sese, et dignus, quem neque fortunæ temeritas neque calamitas eventus, neque inimicorum injuria terreat in regenda valetudinum pessima, aut notet conscientiae labe et nominis. Sed unde quaesitio haec tanta et vere divina rerum omnium scientia? Institutione, labore, experientia comparatur; fateor, at non solis, nisi forte de Medico dicendum sit: *Hic Deus nihil egit.* Tum vero Deus se aliquid et quidem permagni acturum promisit, si pius sis Prov. I, 7. *Timor Domini principium scientiae.* Itaque tanto plus te profecisse in arte arbitrare, quanto certius pietatem assumseris artis adjutricem.

1 Plaut. Menachm. A. V. Sc. 3.

§. XIX. Præter scientiam et *consilio* Medicis opus est; quod Confilium. et sapientiam et prudentiam et facultatem iudicandi omnem complecti mihi quidem videtur. Hic enim ubi neque insecta, neque belluas, neque hostes acie decernentes, qui studium tuum sibi petant, habes, sed homines, cives et amicos saepe lævissima corporis ægritudine in vitæ discrimen vocatos, et cogitare prudenter et agere considerate prima virtus est. Ut enim quisque maxime perspicit, quid in morbo quoque ultimum, quid consentaneum valetudini, quid consequens sit, quique acutissime et celerrime potest et cognoscere et explicare rationem, is Medicorum prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet, cui in omni casu subiecta est veritas. Et remediorum singulis in morbis atque hominibus singulatum est habenda ratio. Neque graviter ægrotantes leniter curandi; neque levioribus morbis periculosa curationes et ancipites adhibenda sunt. Subvenire ita calamitati sapientis est, ut plus adipiscere confecta boni, quam addubitata mali. Quem autem magis idoneum esse credis, huic muneri defungendo, homine, qui pietatis regula meritorum studium? Hic enim cum non laudibus vulgi se dare, neque in præmiis humanis spem soleat ponere rerum suarum, sincero Numinis hominumque amore iuductus id tantum curat, ut intemeratam officii summa cum cautione atque diligentia facti sibi nullo non tempore servet conscientiam. Hunc cautum efficiet ipsa pietas, sapientem et omnis valetudinis providum. Nonne præterea quoque hunc et consilio et sapientia alios longe præstare censes, qui auctorem¹ illum omnis sapientia Deum habet adjutorem, Deum

inquam, qui providet, qui regit et moderatur omnes omnium hominum cogitationes² actiones, consilia³; qui Medici titulum sibi vindicat; qui leni atque tacito instinctu humanam voluntatem ad ea deflectit, quæ singulis casibus maxime esse possunt usus: quorum quidem in numero inprimis videntur ea ponenda esse, quæ homines, cum arti sese dedunt, sane ignorant, contemnunt, projiciunt⁴.

¹ Joh. XXVIII, 12--27.

² Pf. XXXIII, 15--19.

³ Exod. XV, 26.

⁴ Conf. Ies. XXXVIII, 21. 2 Reg. XX, 7.

§. XX. Erat ex tribus, quæ Medicum commendant, hoc tertium, ut amans laboris sit, atque industrius. Commune quiddam mortalibus est labor, quem et natura et divina lex, uti quidem sacris literis consignata est, et ipsa rerum humanarum postulat conditio. At omnino eo intentiore cura atque studio res gerendæ videntur, quo maiora et plura habenda sunt, quæ fidei nostræ committunt homines. Ex quo quantum quis ad artem medicam afferre debeat industriæ, facile potest intelligi, Nihil enim ex omnibus, quæ corpus afficiunt bonis ipsa vita est majus, nihil pretiosius, nihil amabilius. Neque Medicina ex illarum artium est numero, quibus exercendis una communis regula sufficit, aut hora statui potest aut tempus, aut mora, aut fines ulli. Ut enim homo ab homine, morbus à morbo, tempus a tempore, et una terrarum pars ab alia differt: ita Medicorum distrahuntur studia, et occasio unaquæque suam sibi exposcit diligentiam. Neque quantum velis; neque quo tempore opportunum sit; neque quos morbos et homines tuæ curæ optes: sed quot et quando et qui et quibus afflicti morbis tum te flagitent auxilium, omnium salutem studendum est. Hac enim ipsa industria ut principiis obstes, naturam hujusque vires præoccupare, tristiores casus avertere et præsentissima sæpe calamitate, quin morte ipsa possis eripere hominem profecto efficitur; ubi si remagas negligentius, deinde malum plus docta arte valere senties. Verum sine illa pietate, quam Medicum ornare diximus, hanc virtutem in Medico maxime incomparabilem quemquam habere non posse persuasissimum habeo. Quanquam enim non nego, ex quibus industria hominum derivanda sit, alios sæpe dari fontes: tamen id mihi largientur omnes veræ virtutis non plane ignari, illam totam atque tantam, quantam medendi ars postulare videtur, aliunde deduci certe non posse, nisi ab hac ipsa pietate. Nam qui sola divitiarum aut honorum ducuntur spe, ad naturæ suæ certe vitiosæ genus industriam et studium omne conferunt, neque se præstabit

ita

ita industrios, nisi eas res ante oculos videant et sperare possint, ad quas innata inflammata aviditate rapiuntur; ceterum in officio claudicabunt: neque ab iis qui ad voluptatem omnia referunt, et artes tantum colunt ut voluptatum ministras; æquabiliter et morbo convenienter adhiberi curam atque solertiam ægrotis, sibi persuadebunt, qui quam arte rationem illi habeant et commoditatis et opportunitatis considerant. Aliam longe à pietate pullare cernimus industriam. Quorum enim ars hac regitur virtutum omnium nobilissima, et in collocanda industria omni, et in regenda valetudine hoc maximi officii esse putant, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari: neque siue sit pauper, qui morbo laborat, siue dives, siue loco natus humili siue illustri aliam omnium, qui exposcunt, curam habendam, nisi valetudini parem et utrisque æquabilem. Quare in singulorum calamitate quantum coniecti animo possunt, quantum labore et consilio contendere, tantum faciunt, ut efficiant: neque committunt unquam, ut cum ad pecuniosorum domos et civitatis principium advolant, tenuioribus defuisse videantur.

§. XXI. Mirum quibusdam fortasse videatur, quod insignem à Medici pietate ipsi Medicinæ virtutem conciliari diximus supra. Tantum quidem abest, ut insitam atque innatam medicamentis vim à porrigentis virtute derivem, ut omnem et naturam tribuam, et qui primo loco nominandus est, Deo. Sed qui pietatem tanquam scientiæ genitricem venerantur, et consilii et industriæ; qui pium neminem sine peculiari Numinis favore ac auxilio agere quicumquam fatentur, facile meum sentient, quantum præstet, Medicinam è manu pietatis instrumento et divino, quam hominis accipere, quem, (uti loquuntur) Dii oderunt. Quis enim est tam rerum literarumque divinarum ignarus, qui tot et tantas et egregias profecto promissiones non memoria teneat in rebus gerendis factas piis omnibus? Benigna enim supremi Numinis voluntas bene dicendo piorum hominum coeptis ira nullo tempore non adesse dicitur, ut res agendas moderetur, ornet, promoveat, prosperet, et longe meliora effectui det et majora, quam sperari poterant à sola rerum natura ac viribus humanis. Neque tamen præterea dubium est ullum, quin Medicus pietatis amans diebus omnibus se suasque res, et meditationes et actiones et ægrotos, quos curæ suæ demandatos recordatur, omnes piis precibus commendet Medicorum illi primo ac summo et hunc occasione quavis flagitet, ut remediis altum addat pondus. Aut igitur sunt ista neganda, quæ Jacobus vir divinus de

de iustorum præcatione ² affirmat: aut hoc ipsum, quod statuëramus erit pro confecto habendum; Medici pietatem medicamini insignem superaddere vim atque virtutem.

¹ e. g. Pf. I, 3. Omnia, quæcunque faciet (pius) prosperabuntur et Iof. I, 8. 9.

² Iac. V, 16. Multum valet precatio iusti *εὐεργεσιανη*.

§. XXII. Sequitur ut de illa reliqua virtute dicendum sit, quam pietas Medici in ipso ægrote, et gignit et auget morbis facile curandis singulis imprimis aptam et necessariam. Hæc est illa fiducia in fide et consilio medentis posita, quæ, sibi cetera sunt paria, sedationem parit perturbationum animi et tranquillitatem tuetur. Quibus autem rationibus hanc facultatem assequi possit Medicus, ut hominum in summum discrimen rerum implicitorum studia, amorem, spemque omnem complectatur et teneat, nisi pius sit, certe dici non potest. Medicum fac esse doctum, prudentem industrium, at mercenarium et inhiantem lucrum, semper vereberis, vt dederis satis: fac honoris et gloriæ cupidum, nova animus cruciabitur sollicitudine, quotiescunque te accedat aut valere jubeat, et dubitabit, an singula à te ita dicta facta, significata et data esse videantur, ut quam honorificentissime de se sentire te intelligat: fac voluptatis studiosum, periculum erit, nedum in voluptate est et pelliculam suam curat, tibi pellem male vendat et te derelinquat miserum. Vides nullum istorum hominum satis aptum esse et dignum, cui corporis valetudinem, cui salutem familiæ, cui denique summam rerum tuarum in hoc mundo omnem, vitam nempe ipsam tuto committas et confidenter. Verum si quis existit Medicus, cui neque voluptas, neque divitiæ, neque præter officium probi et honesti viri quidquam aliud propositum esse videtur, quemque per pietatis regulam ad hominum utilitatem suam intelligentiam prudentiamque potissimum conferre inter omnes constar, nihil habet quod metuat æger, nisi tunc fortasse, ubi sibi ipse aliqua ex parte defuisse videatur.

§. XXIII. Veniant igitur pietatis irrisores ac hujus sententiæ, et iam vel ipsi judicent, utrum se illorum alicujus, qui aliis longe rationibus, qui deliciis, qui gloria, qui pecunia metiuntur studia sua atque industriam, an hujus, qui officii memor et rationis reddendæ, qui fratris amans, qui precibus potens, qui divino auxilio fretus, et ut verbo expediam omnia, qui pius est, curam sibi expetere malint. Suum certe sibi ipsa statuet pretium pietas ita, ut omnes intelligant, pietatem veram atque ipsam, quam tantopere quæsiuerunt, esse MEDICINAM VNIVERSALEM.




ULB Halle

3

005 302 870







DE
PIETATE
OBSTETRICVM,

QVA
DEVS DOMOS DICITVR
ÆDIFICASSE ISRAELITIS,

oder:

Von der Gottesfurcht der Wehnmutter,

um welcher willen

Gott denen Israeliten Häuser gebauet.

EXOD. I, 20. 21.

DISSERIT,

ET

MEDICORVM PIETATEM

ÆGROTIS

SALVTAREM ESSE

DEMONSTRAT

M. IOANNES ANDREAS Krafft,

INSPECT.

ALTONÆ,
LITTERIS BVRMESTERIANIS.



Un 1078

